

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 4698

**Auteur(s)** : Richard Ier Cœur de Lion, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s)** : Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1198, 28 février

**Lieu d'émission** : Château-Gaillard

**Action juridique** : fondation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Richard Cœur de Lion, roi d'Angleterre et duc de Normandie, confirme la fondation de l'abbaye de N.-D. de Bonport.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° XVII, p. 14-16.
- b. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissé, 1862, t. 1, p. 563 (extrait).
- c. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, n° X, col. 137-138.

Texte établi d'après a

Ricardus, Dei gratia, rex Anglie, dux Normannie, Aquitanie, comes Andegavensis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justitiariis, vicecomitibus, senescallis, prepositis, ballivis, et ministris et fidelibus suis totius terre sue, salutem. Sciatis nos dedisse et concessisse et presenti carta nostra confirmasse, pro salute anime nostre et antecessorum nostrorum, in puram et perpetuam elemosynam, Deo et ecclesie Beate Marie de Bono Portu, que in foresta nostra de Bord sita est et fundata, in loco scilicet qui prius dicebatur Maresdans, et monachis ibidem Deo servientibus, de ordine Cisterciensi, locum ipsum de Maresdans, in quo predictam ecclesiam ad honorem Dei et Beate Virginis Marie fundavimus, et totam haïam de Maresdans, sicut chiminus dividit eamdem haïam a foresta, et in eadem foresta de Bord, scilicet in loco qui dicitur Balnea Morin, et circa locum illum viginti carrucatas terre, scilicet unicuique carrucate sexaginta acras terre ad perticam nostram, videlicet viginti quinque pedum. Dedimus etiam in predicta foresta omnia necessaria ad propria hebergagia facienda, et ad ignem suum, et ad omnes usus suos, et pasturam ad omnes bestias suas per totam forestam illam, et quietantiam pasnagii de porcis suis et hominum suorum, et examina apum in usum ecclesie. Dedimus etiam eis omnes vineas quas habebamus apud Guavereium, cum pertinentiis suis, et totum closum de Lere cum suis pertinentiis, et omnes vineas et vina que habebamus in Valle Rodolii, et omnia prata nostra, scilicet de Guavereio et de Huma, et de Loviers, et de Wiscarvilla, de Leire cum pasticiis ejus, et omne fenum nostrum de Valle Rodolii, quod venire solebat ad grangias nostras, excepto illo quod vadit ad carrucas et ad feoda servientium, et omnem aquam ad faciendum in ea quidquid voluerint, et omnes piscarias, et molendinum de Poses cum pertinentiis suis, et omnes redditus quos habebamus a Ponte Arche in Secana sursum usque quantum durat Vallum de Rodolio. Et quietantiam per mare, et per terram et

per aquam, de omnibus rebus suis et hominum suorum, de modiatione etiam vini ad omnes usus suos, et de omni alia consuetudine, in omni potestate nostra. Dedimus etiam predictis monachis decem carrucatas terre in foresta nostra de Auviz, unicuique carrucate sexaginta acras terre, ad supradictam perticam nostram, ad faciendum ibi grangiam, et ad bestias suas, et ad bladum suum, et ad ea que voluerint, et in eadem foresta ligna ad edificia sua facienda et ad arandum, quantum opus habebunt, ad omnes usus suos, et in eadem foresta herbagium bestiis suis, quocumque in nemore illo voluerint habere, et quietantiam pasnagii porcis suis. Dedimus quoque jam dictis monachis centum marcas de reddito nostro in villa de Dieppa in perpetuum, singulis annis, ad duos terminos persolvendas, scilicet medietatem ad Pascha, et medietatem ad festum Sancti Michaelis. Dedimus etiam eis habendam et tenendam in perpetuum in proprios usus suos, ecclesiam de Crikboe integre, cum omnibus pertinentiis suis. Volumus autem vos scire quod advocatio ejusdem ecclesie nobis adjudicata fuit per recognitionem in curia nostra. Quare volumus et firmiter precipimus quod predicta abbatia nostra, et monachi et fratres in eadem domo Deo servientes, habeant et teneant in perpetuum omnia supradicta bene et in pace, libere et quiete, integre, plenarie et honorifice, in bosco et plano, in terris et vineis, in decimis, in hospitibus et redditibus, in pratis et pasturis, in aquis et molendinis, in viis et semitis, in vivariis et stagnis, in mariscis et piscariis, et omnibus aliis locis, et aliis rebus ad predicta pertinentibus, cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus suis. Propterea maxime precipimus et omnino prohibemus ne quis predictos monachos in aliquo supradictorum disturbet vel differat super decem librarum forisfacturam.

Testibus : Willelmo filio Radulphi, tunc senescallo Normannie ; Roberto de Harcurt ; magistro Maugero, archidiacono Ebroicensi ; Johanne de Alenconio, archidiacono Lexoviensi ; Willelmo Tobomer ; Petro de Pratellis, et pluribus aliis.

Datum per manum magistri Guarini, prioris Lochionis, tunc agentis vicem cancellarii, apud Bellum Castrum de Rupe, XXVIII die februarii, anno nono regni nostri.